



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Rosa In Hieme**

**Mertz, Martin**

**Antverpiæ, 1627**

Capvt XI. VWilhelmi serena & pura conscientia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42750**



58 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
cramentorū exigebat : in quorum altero à  
duris peccatorum , licet leuiorum tantum,  
vinculis se expediri , in libertatem filiorum  
Dei euocari, maiusque robur animo suo ad  
pugnam spiritus continuandam addi ; alte-  
ro verò mentem viuidam reddi, inflamma-  
ri, corroborari, dulcedine liquefieri, intime-  
que Dilecto vniri non ignorauit, neque ex-  
pertus ignorare potuit. Præter meditatio-  
nes quas ad hoc adhibuit, aliasque insignes  
animi discussiones & præparationes, deu-  
tissimas insuper & affectibus plenas oratio-  
nes manu propria ab eo in hunc vsum sibi  
descriptas reperi ; quæ non solum orandi,  
sed etiam dulcissimè contemplandi, & igni-  
tis suspirijs cælum pulsandi , Dilectumque  
alloquendi materiam vberem submini-  
strantes, ipsæ in se spiritum quemdã ac cor-  
dis liquefactionem cõtinere videri possint.

## C A P V T X I.

*VILHELMI serena & pura conscientia.*

**I**LLVD quod mortalibus omnem ex cor-  
de animoque aufert lætitiã, veram in-  
tellige & æternæ præambulã, est negle-  
ctus conscientiæ: quam qui siluescere, & li-  
cet leuiorum tantum delictorum sentibus  
ac tribulis oppleri permittunt , perpetuo  
quasi



quasi æstu remorsus concussi & excruciiati, verè in Domino lætari aut numquam aut rarò possunt: qui si diligentem falcem & seueram seriamque ad ea lolia succidenda & spinas euellendas apponerent, explicatu difficile sit, quanto gaudio quantaque lætitia & securitate fruerentur, vt verissimum clamarent illud: *Conscientia bona iuge conuiuium*. Cùm igitur noster hic VVILHELMVS, quasi leo confidens in summa animi securitate tranquillum possidere, iugique pacis & consolationis conuiuium recreatus, adipe dulcedinis ac pinguedine deuotionis mirè repletus & inebriatus visus fuerit, qualem obsecro conscientiam ei fuisse dicemus? Sæpissimè profectò à Patre spirituali, cùm confessionem institueret, sine absolute dimissum audiui eum his verbis: *Vade, fili mi, in pace; nihil habes*. Tantam scilicet conscientia suæ puritatem procurabat, vt de vna confessione ad aliam ferme absque omni etiam leuissima quasi culpa permaneret in simplicitate cordis (quæ mira in illo erat) iugi animæ in cælum eleuatione coram Deo sincerè ambulans. Sed illud certissimam conscientia eius puritatem certò testatam facit, quòd Dilingæ inter ipsum & prædictum Patrem illius spiritualem euenit. Venerat quadam die  
ad



60 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
ad portam Collegij Patrum Soc. IESV, pe-  
tens aditum ad R. P. Iulium suum Confes-  
sarium, vt confessionem ei facere posset;  
sibi enim in animo constitutum esse pro  
ratione sacræ diei ad sacram Synaxin acce-  
dere. Nuntiatur id Patri: qui V WILHELMO  
non admisso renuntiari iubet, secedat in  
pace, ac secura mente communicet: quod  
& ille simplex Obedientiæ filius absque  
tergiuersatione fecit. Hoc autem quantam  
& à quanto tempore intimè perspectam  
conscientiæ puritatem animeque innocen-  
tiam demonstrat, quiuis vel parum pru-  
dens facile ipse æstimare poterit: rarū sanè  
hoc est, & in tali ætate rarissimè auditum.  
Similia omnino testimonia in eandem rem  
dixit R. D. Georgius Kurtz ei in Monaste-  
rio à Confessionibus: asseruerat quando-  
que, nolle se amplius exomologeses illius  
excipere, quòd & indignus foret tanto  
tamque immaculato homini Pater spiri-  
tualis esse; & ipse V WILHELMVS non affer-  
ret vnde absoluendi materies suppeteret.

## C A P V T X I I.

### *Conuersatio eius ad alios.*

**E**A est natura & conditio vitæ inculpatæ  
sanctæque transactæ, vt non solùm intra  
pro-